(7

LATINA LINGUA
ADHUC VIVIT, ET AUGERI POTEST.
ORATIO
JACOBI SERAFINI

RHETORICÆ

IN SEMINARIO UTINENSI

PROFESSORIS

Habita v. Kal. Augusti 1795.



UTINI MDCCXCVI.

APUD HIERONYMUM MURERO.



SUPERIORUM PERMISSU.

PETRO ANTONIO GEORGIO
ARCHIEPISCOPO UTINENSI

JACOBUS SERAFINUS

F.

EA fuit quavis ætate conditio litterarum, ut tum maxime vigerent, cum illarum dignitatem Principes viri auctoritate sua atque præsidio tuerentur. Non est, cur veterem Graciam, & Latium proferam, aut cæterarum nationum monumenta commemorem, cum recens & domesticum habeamus exemplum ad intuendum. Nam dicere majores natu non semel audivi, Provinciam hanc doctissimorum hominum copia semper affluentem fuisse, & hodie esse videmus, ut nihil in omni doctrinarum genere cuiquam Civitati concedat. Cur porro ad illud studiorum genus tam accensi accurrerunt? Est hoc illis laudi tribuendum; siquidem eam unam sibi viam munitam ad gratiam, atque adeo ad honores perspiciebant. At liceat & mihi nunc de litterulis nostris quidpiam proferre: Poterantne ipsæ meliori tempore in lucem prodire, quam cum tu, Præsul amplissime, celsissimam hanc dignitatis & honoris Sedem teneres, quo Auspice optimo & præstantissimo erigunt sese, atque confirmant? Constitueram sane, nihil typis committendum, nisi eas, quas habui, orationes, quibus nostrorum Antistitum laudem prædicandam suscepi. Neque tum quidquam timebam, etsi terrores jactarentur, qui periculum denunciarent. Etenim ut de te potissimum loquar, cui proxime hæc Metropolis divinitus est data, an tuam integerrimam vitam, flagrantissimum religionis studium, singulare ingenium omni disciplinarum varietate exornatum, humanitatem denique incredibilem, quantum fieri per me poterat, prosequi non debebam memoria diuturna posterorum? Facere tum nempe malui periculose, quam officio deesse. Hanc vero orationem, privatim in tuo Seminario habitam, qua latinam linguam adhuc viventem esse, & augeri posse confirmo, etsi eo consilio conscriptam, ut adolescentes, qui in nostram disciplinam traditi sunt, ad laborem & laudem magis magisque excitarem, nunquam tamen in aspectum protulissem,

nisi tua singularis erga studia pulcherrimarum artium esset benevolentia plane perspecta & cognita. Nemo est enim, qui aut praeclara ingenii tui monumenta legerit, aut te ipsum in principe hujus Civitatis templo perorantem audierit, quin admiraretur, quae tua sit gravitas in dicendo, qui splendor optimorum verborum, quae ubertas & copia rerum, quae concitatio animorum. Quapropter lucubratiunculam hanc, notis quibusdam illustratam, summa animi alacritate ad te defero cum ex oratoria facultate imprimis nobilem & clarum, tum propugnatorem quoque amantissimum: eamque deferri existimato, ut non modo tuae voluntati, cui jam pridem me totum devovi, morem geram; verum etiam ut pro maximis tuis in me beneficiis quamdam grati animi significationem exhibere possim. In quo illud unum a te majorem in modum peto, ut quem antea in tuam fidem summa benignitate recepisti, hunc me posthac retineas, tuoque praesidio sic tuearis, ut me tuum esse perpetuo sentiam.

ORATIO



Iſeram funeſtamque video fuiſſe Latinæ linguæ fortunam. Poſtquam enim induſtria quadam incredibili veterum hominum præſtantiſſimorum vix tandem fuerit plene cumulateque perfecta: ſic tamen a domeſtico nitore brevi annorum ſpatio (1) deflexit, ut nullum prope veſtigium priſtinæ dignitatis retineret. Neque id tantummodo dolendum, ornatiſſimi viri, verum etiam illud conquerendum multo magis, quod ab interitu Imperii Romani, etruſco ſermone paulatim enaſcente, e vivis ſublata eſſe exiſtimetur. Quod cum in animis hominum jam inveterarit, tum a nobis permulti requirunt, cur in tanta italorum ſcriptorum copia, in tanta italæ linguæ ſuavitate ac venuſtate, quæ in Foro dominatur, in Academiis regnat, in Concione triumphat; peregrinum tamen ſermonem maximopere conſectemur, neque peregrinum modo, ſed jam pridem extinctum & conſepultum.



(1) Latinitatis tempora in certas ætates veluti hominis vitam docti viri diſtribuunt, in infantiam nempe, adoleſcentiam, virilem ætatem, & ſenectutem. Hac ſuper re Facciolatus in ſuo de lat. ling. comment. p. 24. inquit: *adoleſcentiam excepit virilis ætas, hoc eſt abſoluta illa & conſtans latinæ linguæ elegantia, gravitas, & pulchritudo: ſed, ut fere ſolent maxima bona, cito intercidit, & in ſenium prolapſa eſt. A Cicerone enim cum cœpiſſet, ideſt ab extremis Romanæ libertatis temporibus, vix ad tertium Imperatorem pervenit.*

Vereor in hac caufa id, quod dicturus fum, ne mirum fortaffe auditu cuipiam videatur, cum opinionem hanc tam pervagatam, & tam penitus infitam convellendam fufceperim. Dicam tamen paullo liberius, & quæfo, ut hanc veniam mihi hodierna die tribuatis, ut vel mirificam rem, & periculofæ aleæ plenam pro veftra benignitate patiamini in medium adduci. Quam veniam cum & Græci quondam fæpiffime obtinuerint, & Romani Carneadeum morem fecuti interdum fibi vindicarint, hanc vos veteri exemplo mihi libenter daturos confido.

Quanquam, nifi me amor fufcepti negotii fallit, illud vere mihi videor poffe profiteri, latinam linguam, etfi gravi morbo fuerit, eoque diuturno conflictata, nunquam tamen extinctam penitus (2) fuiffe, atque e numero viventium exturbatam. Hoc enim tanquam fundamento pofito & conftituto, perficiemus profecto multo facilius, ut teterrima labes, quam omnium gentium litteris & difciplinis Alambertius ille doctiffimus cæteroqui vir, fed plus æquo fautor Gallorum fuorum, inferre moliebatur, qui patrium (3) duntaxat loquendi genus, a matribus exhauftum, a nutricibus una cum lacte expreffum, excolendum ducebat, alpium vallo, & Rheni foffa gurgitibus illis redundanti conftricta teneatur.

In hominum doctiffimorum atque eruditiffimorum cœtu loquor, in quorum fapientia atque humanitate caufam totam repono, ac tua potiffimum, Archipræful ampliffime, qui eidem maxime favere debes. Nam cum in omni litterariæ reipublicæ parte præclarum decus fis & ornamentum, tum in latinarum



(2) Hieronymus Ferrius in Epift. lib., quem contra Alambertium confcripfit pag. 70. affirmat, a multis doctiffimis hominibus, ac præfertim a Lamio non minus eruditione, quam elegantia fpectatiffimo exiftimari, latinam linguam nunquam ita jacuiffe, ut mortua dicenda fit.

(3) Alambertius princeps illorum, qui in Gallia hanc controverfiam excitarunt, negat ullam aliam linguam præter nativam nos ita fcire poffe, ut recte ea fcribamus. Hinc vehementer contra latinos invectus eft, eofque multis modis exagitavit. Quem confutat Hier. Ferrius eodem libro pag. 33.

litterarum facultate singularem quandam laudem tuam esse positam videmus. Pergratum itaque me facturum puto, cum latinitatem, quam gravissimam atque ornatissimam quondam fuisse cognovi, superstitem adhuc esse, & cum dignitate vigentem pro mei ingenii exiguitate defendo: ut cum hoc docuero, tum illud deinde ostendam, quod summopere requiri intelligo, posse novo quodam verborum genere pro rerum opportunitate augeri atque amplificari, quin nobis metuendum sit, ne non latini sermonis conservatores & videamur, & simus. Ardeo enim, mihi credite, incredibili quodam harum optimarum artium amore, qui me amor cogit expetere, & omnibus, ut dicitur, velis remisque contendere, ut cum etrusca oratio alatur hic & corroboretur, tum latinitas, quæ omnium doctrinarum est veluti firmamentum & robur, quo decet ornatu & cultu florescat.

Sed antequam ad rem ipsam venio, de hujus linguæ calamitate pauca dicam, cujus in hac causa dignitatem violari quidam homines criminantur, quod equidem crimen in me conjectum gravissimum judico. Etenim minorem, (4) ajunt, nobilissimæ linguæ injuriam fieri, si acerbo interitu deletam esse & consepultam, quam si vixisse contempta vita & sordida fateamur. Itane infamiam quamdam & labem suscepisse videatur, quod eam venustatem homines aliquando non conservarint, quam ipsa a majoribus accepit, nec iis ornamentis usi sint, quibus magnificentissime redundabat? Cum enim bellica Romanorum virtus ad ultimam prope terræ plagam Imperii fines protulisset, cumque ipsi exteras nationes, quo magis sibi devinctas tenerent, jure Latii & civitate (5) donassent, e quorum nu-



(4) Hæc Jacobi Facciolati objectio est: ait enim in commen. de lat. ling. pag. 25. *Sunt qui ad Gordianum usque, non desunt qui etiam ad Constantinum latinæ linguæ ætatem producant. Sed minorem sane nobilissimæ linguæ injuriam facit, qui eam interiisse, quam qui lutulenter vixisse putat.*

(5) Quam multis post Augusti tempora singillatim aut confertim prorsus absque discrimine jus Civitatis daretur, patet ex historia. De Claudio, qui Imperium obtinuit an. Ch. 54., Dio

mero seu publici, seu privati negotii obeundi causa Romam frequens multitudo confluebat, partim etiam in curiam inducebantur, & magistratus inibant; quid enim conquerar alienis interdum vel Imperii summam esse transmissam? Tum profecto factum est, ut in Italia incorruptam patrii sermonis integritatem barbarie infusa externis oblinitam moribus & contaminatam doleremus. Quid deinde contigisse arbitramur in illa omnium teterrimarum gentium (6) defectione, tum cum non jam ut amici atque socii, sed permagno conflato exercitu in Italiam venerunt, atque in ea ipsa armorum vi oppressa se-

ita scribit lib. 60. *Itaque jus illud magna quondam pecunia venditum adeo tum vile factum est, ut vulgo jactatum fuerit, etiamsi quis alicui vasa vitrea confracta dedisset, civem Romanum fore. Hac de causa dicteriis agitatus Claudius.* Seneca etiam hunc irridet ludo de morte ejusdem his verbis: *Sed Cloto, ego mehercule, inquit, pusillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, Civitate donaret. Constituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hispanos, Britannos, Sauromatas, & si qui ultra glacialem boream incolunt Barbari, togatos videre.*

(6) Ob Barbarorum in Italiam incursiones, quæ initio sæculi quinti fieri cœperunt, italum idioma, quidquid aliter Castelvetrus, ejusque asseclæ effutiant, natum esse videtur. Ita Bembus lib. *della volgar lingua* edit. Veneta apud Franciscum Hertzhauser inquit p. 13. *La nostra volgar lingua quando e in che modo nacque ella? Il quando, rispose M. Federigo, sapere appunto, che io mi creda, non si può, se non si dice, che ella cominciamento pigliasse insino da quel tempo, nel quale incominciarono i Barbari ad entrare nella Italia, e ad occuparla: e secondo che essi vi dimorarono, e tenner piè; così ella crescesse, e venisse in istato. Del come non si può errare a dire, che essendo la Romana lingua, e quella de' Barbari tra se lontanissime; essi a poco a poco della nostra ora une, ora altre voci, e queste troncamente e imperfettamente pigliando, e noi apprendendo similmente delle loro, se ne formasse in processo di tempo, e nascessene una nuova, la quale alcuno odore e dell' una e dell' altra ritenesse, che questa volgare è, che ora usiamo.*

dem rerum suarum ac domicilium una cum conjugibus atque liberis collocarunt? At fortunæ ista tela fuerunt, fuit injuria hominum, non pulcherrimæ linguæ turpitudo. Ejus quinimo laudem haud mediocriter illustro, cum post Romani Imperii occasum atque interitum tot incommodis affectam atque debilitatam non omnino intercidisse confirmo. Quemadmodum enim arbor non bipenni obtruncata, nec evulsa radicitus, etsi foliorum omne ornamentum tempestatis impetu sit humi constratum, veris tamen adventu turgescit denuo, & viridantes florum gemmas diffundit: sic & latinitatem judico potuisse a præstantissimis viris non modo extolli jacentem, verum etiam ad pristinam ejus dignitatem prope restitui.

Non itaque ab illa Imperii Romani atroci clade fortuna etiam latini sermonis pendebat, quem præstantior Respublica ac divina veluti suum & proprium cum recepisset; ab eodem ipso miseram illam, teterrimamque calamitatem propulsavit. Quæ autem Respublica præstantior ac divina? Ecclesiam Romanam dico, quam non delebit communium temporum vis, non profligatorum hominum conjuratio, non illuvies immanium barbarorum.

Hic quæso, ornatissimi viri, auream illam, quam vocant, ætatem mecum tantisper in memoriam revocate, ut veterum, & nostrorum temporum contentione facta caussam universam planius perspicere possitis. Non equidem dubito, qua de re (7) libentius nonnulli disputant, quam verius, quin eodem infima

b



(7) Hac de controversia ita Bembus eodem lib. pag. 10. *Ho udito dire alcuna volta, che la nostra volgar favella stata sia eziandio favella medesimamente volgare a' Romani, con la quale tra essi popolarescamente si sia ragionato, come ora si ragiona tra noi*. Quam opinionem ibidem variis rationibus refellit. Castelvetrus etiam apud Bembum eodem loco in suis notis hæc habet: *Ora passando alla seconda disputa, che era se la lingua volgare nostra fosse, o non fosse al tempo, che il Comune di Roma era in istato, e signoreggiava il Mondo ..... Si sa, che Lionardo Aretino fu di questa opinione, se vogliamo prestar fede al Filelfo, e al Poggio; o che gli fu ciò falsamente apposto, se vogliamo credere a Lorenzo Valla, o fosse malizia, o fosse ignoranza de' suoi avversarj*.

multitudo plebis Romanæ ſermone uteretur, quo cives ingenui & liberaliter educati; illud tamen pro certo ſciant omnes, hunc emendatum atque e ſchola perpolitum, illum rudem fuiſſe & vitiis redundantem. Satis eſt quidem in illo populo tam agreſti quondam & tam inculto inſcriptionem commemorare in roſtrata columna inciſam, quod monumentum non jam puerili, ſed adulta urbis ætate Cajo Duilio Conſuli, devictis navali pugna Carthaginenſibus, in foro primum, in Capitolio deinde ad memoriam poſteritatis fuit conſtitutum, vel alteram L. Scipioni decretam, qui Corſicam difficillimam inſulam ſumma virtute ſuperavit. Quarum utraque eſt admodum impolita & plane rudis, ut legi quidem, vix tamen ut res poſſit intelligi: quæ profecto inveterata loquendi forma, ne tum quidem, cum Latium maxime floreret, e ruſticorum (8) moribus potuit omnino deleri. Atque idcirco idem ipſe rebus omnibus cumulatus orator M. Cicero, cum ſui æquales ad veræ & ſolidæ facundiæ laudem & celebritatem adhortaretur, eoſdem a praviſſima conſuetudine populari deterrebat.

At nunc vero ab infimæ plebis temeritate, atque ab urbano



(8) Sermonem, quo Romani ab urbe condita uſque ad annum 261. utebantur, *horridum* appellat T. Livius lib. 2. cap. 37. Facciolatus in com. de latina ling. refert inſcriptionem Scipionis, qui fuit Conſul an. ab Urbe condita 494; quam ſilentio prætermittendam non eſſe duxi. Inſcriptio autem eſt hujuſmodi: *Honc. oino. Ploirume. Conſentiont. duonoro. optumo. fuiſe. viro. Conſol. Cenſor. Ædilis. hic. fueta. Hic. cepit. Corſica. Aleriaque. Urbe.* Hoc eſt: *hunc unum plurimi conſentiunt bonorum optimum fuiſſe Virum. Conſul, Cenſor, Ædilis hic fuit. Hic cepit Corſicam, Aleriamque Urbem.* Nec niſi poſt bellum Achaicum, quod paucis ante M. Tullium annis geſtum eſt, lingua exculta fuit. Itaque Horatius l. 2. Ep. 1. v. 155. inquit:

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio . . . . . .
. . . . Sed in longum tamen ævum
Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris.
Serus enim græcis admovit acumina chartis.

ſtrepitu imperitorum ad optimates, ut ita dicam, eſt latinitas redacta, in quorum ſcriptis non modo, ſed ore etiam maxima cum dignitate verſatur. Atque ut omittam, quanti faciendum ſit, ab hac ipſa Scripturam ſacram auguſte ſancteque conſervari, quæ maxime obtinet divinarum litterarum auctoritatem: hanc unam eſſe cunctis ritibus ſacrorum totius ferme populi Chriſtiani devinctam: ab eadem etiam omnem prope doctrinam majorum ad nos eſſe profectam, quam tanquam hæreditatem debemus retinere: ut hæc omittam, nonne lex ipſa, quam videmus auctoritate Conciliorum & Pontificum promulgatam, ne cui Sacerdotii dignitas tribui poſſit, qui durior ad hæc ſtudia videatur, latino ſermoni perpetuitatem immortalitatemque donavit? Quam id porro decebat! Quam Religionis amplitudo poſtulabat! Quæ cum omnes omnium gentium partes complexa ſit, tum par (9) erat, ut uno genere verborum divinam ſuam ac propriam doctrinam diſſeminaret, gregem univerſum una voce erudiret, depravatorum hominum, qui novis rebus ſtuderent, temeritatem ſic condemnaret, ut quid hæc ſentiret, & diceret, omnes planiſſime viderent. An quiſpiam hoc loco infimæ plebis Romanæ homines, qui embæneticam faciebant; aut illum bajulorum gregem requirat, quorum alii navigiorum trajectu, alii rebus hac illac deportandis laborioſam vitam tolerabant? Nullo autem numero habeat præclara ſapientia viros, qui hac noſtra etiam ætate in omnibus oppidis Italiæ, & in univerſa prope Europa graviſſimarum artium diſciplinas dicendo

(9) Bergierius in eo libro, cui titulus, *Encyclopédie Methodique Theologie Tome Second Seconde Partie, art. Langue*, inquit: *L' unité de langage eſt neceſſaire pour entretenir une liaiſon plus etroite & une communication de doctrine plus facile entre les differentes Egliſes du monde, & pour les rendre plus fidelément atachées au centre de l' unité catholique*. Huc pertinent, quæ habet Honoratus Tournely, ubi agit de Sacram. in genere To. 6. pag. 260. *Cum Eccleſia una ſit, & membra ejuſdem corporis communi quodam Societatis vinculo colligari debeant, ſapienter omnino inſtitutum fuit, ut ea lingua ſacra celebrentur, quæ commercium Eccleſiarum non impediat*.

(10) exponunt, quorum splendida & illustris est oratio? An veterem propolam atque cupam & tabernarios comissatores exoptet, qui intempestivam loquacitatem epulis confectam & madentem vino in multam noctem producebant, quos vindices legitimi sermonis profiteatur? Omnem vero juventutis florem negligat, & pro nihilo putet, qui cum palæstram frequentant, tum omnibus de rebus strenue disputando inter se concertant, quorum ego nunc corona stipatus magnopere lætor? Quid cum non privatim tantummodo, sed in hoc ipso nobilissimorum & litteratissimorum hominum conventu cum iis qui dissentiunt, aut qui personam adversariorum sustinere videntur, summa alacritate congredi non dubitant, quibuscum modo disserendum, modo omni ratione pugnandum sit? Quid cum ipsi Sacerdotio exornati, antequam universo gregi pro locorum opportunitate præponantur, de morum disciplina quidquid in medium allatum fuerit, audiente Antistite & disceptante, ex tempore sententiam dicunt suam? Qui tum ardor animi, quæ virtutis contentio, quæ expectatio suffragiorum!

Quod si vivens ea lingua debet nominari, quam aliqua tenuis regio, & parva insula, & rus vel in montium angustiis positum suam sibi & propriam dicavit: de latina dubitare debemus, quam majores nostri religione tutam nobis & sanctam esse voluerunt? Præsertim cum locum videamus in orbe terrarum prope nullum, quo in loco populi Christiani nomen sit, quo non accesserit, & tanquam in suo domicilio stabili ac certo consistat, splendidioribus etiam in oppidis summo splendore enitescat. Adeste quæso, & dicite cives, an sit ulla omnibus



(10) Quod necessario fieri debet. Nam ut ait Hieron. Ferrius Ep. 1. contra Alambertium: *brevi, lingua* (latina) *repudiata, quæ non parum laboris in se habet, cuncta sive sacra, sive profana, nil nisi populare quiddam & plebejum sonabunt*. Et Ep. 30. *Quod si quando nostri in eam opinionem venerunt, ut facultates graviores italo sermone pertractandas judicarent; usus & experientia fecit, ne in sententia perseverarent, iterumque ad latinum quam celerrime confugerent, qui unus reliquus est, qui apud omnes & colatur & celebretur.*

in terris hac nostra communior, quam Itali in eo regno nati, ubi alta atque educata fuit, veluti parentem venerantur: Galli intelligunt, & laudare possunt, at non domestico sermone æmulari: Germani vero nativa asperitate ac duritie commoti admirantur: omnes denique gentes amant, in quibus viget disciplina litterarum, sic ut antiquum morem retineant, retinebuntque semper, ut a latinitate non desciscant.

Nolim tamen cæteris nationibus quidquam sit detractum orationе nostra, Italæ præsertim, dicam etiam Gallicanæ, etsi in illa turbida temporum fortuna nunc versetur: vernaculum illis tribuo litterarum usum, non adimo sermonis leporem, non uberem facultatem dicendi, si qua etiam alia desumunt, non repugno. Itaque diligant se Itali: at illud cum animo cogitent nullam esse linguam provinciarum, nationum, orbis terrarum nec varietate rerum, nec ornatissima orationis gravitate, nec numero clarissimorum scriptorum hac nostra affluentiorem. Etenim non Italia modo, quæ ipsam aliquando jacentem, & animam prope efflantem erexit, sed Afri, Illyrici, Hispani, Angli, immo vero & Moschi, & Sarmatæ ad ejus dignitatem defendendam mirifica consensione conspirasse videntur. In quo minime jam admiror, quandoquidem hisce posterioribus temporibus non solum in Peguano illo, & Siamensi regno, nec non in vastissimo Sinarum Imperio hæc studia peregrinentur, sed Americanorum quoque sylvestrem feritatem demulceant, quos Oceano interfuso extrema tellus dirimit.

Jactent etiam se Galli & magnifice circumspiciant, non ita tamen ut nativa dulcedine exultantes Latinæ linguæ ingrati videantur, non ut hujus exuviis ornati, eandem Alambertio duce ab hominum consuetudine, atque adeo a suis sedibus prope convulsam deturbent: quam charissimam habemus, cum præstantiam tueatur disciplinarum, ornet sua supellectili, splendore illustret, temperet suavitate. Quanquam, pace enim dicam Magni Alambertii, spectamus nos profecto aliquid amplius.

Quapropter hominem conveniatis velim, auditores, in sua zotheca inclusum, & sese totum in gravissimarum rerum studia ingurgitantem, qui frontem modo sinistra manu perfricat, ungues interdum & calamos rodit, sudat, impallescit. Quid agis, optime vir? Qui labor? Quæ contentio? An communi ho-

minum utilitati infervis? Ita eft profecto, inquit. Atque idcirco majoribus noftris præcipuam laudem gratiamque debes, quod ipforum auctoritate eft factum, ut ad omne genus litteratorum, etfi tam varii fint, & tam diftantibus in locis conftituti, præclari ingenii tui fructus redundaret. An nominis famam & celebritatem expetis? Juftam gloriam, præmium veræ virtutis honeftiffimum, non recufo. Hanc vero latius & magnificentius diffundes, fi orationis pulchritudinem gravitatemque fententiarum omnes gentes attingere & deguftare poffint. An immortalitatis amore deflagras? Illa, illa, inquam, latinitas extat, quæ cum rerum & temporum commutationem non extimefcit, vigebit memoria fæculorum omnium, quam pofteritas alet, quam ipfa religio, quæ quidem erit fempiterna, femper tuebitur.

Quorfum hæc difputo? Ut intelligatis latinam linguam non modo funere elatam non effe, fed robuftis viribus, optimo habitu, & firma valetudine uti, quandoquidem in hominum litteratorum ore & fcriptis verfatur, atque ita verfatur, ut nullum mihi dubium fit, quin augeri, cum opus fuerit, & poffit, & debeat.

Atque hæc non eo dico, quo immoderatam quorumdam hominum intemperantiam comprobare videar, qui fuperioribus temporibus, etfi eleganter & honorifice quæ vellent, quæque fentirent, eloqui potuiffent, incredibilem tamen copiam verborum ex ultima barbarie comparatam, antiquis certe quidem Romanis non exauditam protulerunt. Quod evitare omnino debemus: id fateor, & addo etiam omnibus gentibus hoc effe perficiendum, tum vero maxime nobis, qui in Italia vivimus, ut antiquam linguæ integritatem pro virili parte in poffeffione noftra retineamus. Etenim noftri funt illi fontes, qui in agro Arpinate, qui in Venufino, qui in Mantuano beatiffima Augufti ætate orti funt, & aureis quodammodo arenis totam Italiam ufque ad hanc memoriam fœcundarunt; e quibus fontibus, qui perenniter fluunt, plurima haurire quifque poffit, ut unamquamque rem propemodum illuftret confcribendo, & eorum qui legerint mirifica animos voluptate devinciat.

Illud vero non intelligo, quamobrem novis opibus latinitatem amplificare, cum rerum natura poftulat, nobis fit denega-

tum. Ubinam veterum instituta? Ubi illa æquitas juris? Ubi illa antiqua libertas? Quam Cæcilio primum & Plauto tributam, Virgilio deinde & Flacco non ademptam cognovi; quam a majoribus acceptam Cicero potissimum sibi vindicavit. Qua amplissima potestate cum veteres illi liberrime uterentur, an nobis suis posteris hanc præcidendam existimabant, perinde quasi futura (11) quam longissime providerent, atque idcirco patrium sermonem tantopere locupletarint, ut multis post sæculis ad rerum omnium & naturam & conditionem posset facillime accommodari?

Quamobrem cum Dei optimi maximi religionem veneremur, veterum sacrorum populi Romani dissimillimam, dissimillimam dico? Quid enim sanctius? Quid augustum magis, atque a conscelerata delubrorum superstitione longius alienum? Cumque singulis prope disciplinis & superiori memoria nova quædam accesio facta sit, & quotidie magis in vulgus emanent permulta ante hoc tempus inaudita: an existimare debemus, latinam linguam ab Ecclesia, & a sapientum cœtu ea lege retentam & conservatam, ut eadem partim duntaxat rerum suarum in me-



(11) Cicero pro A. Cæcina n. 18: *An hoc*, inquit, *dubium est, quin neque verborum tanta copia sit non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur?* Audiamus, & Melchiorem Cesarottum celeberrimum in Patavina Universitate Professorem, qui in eo libro, cui titulus, *Saggio sopra la lingua Italiana*, inquit par. 1. n. 6. *Niuna lingua è ricca abbastanza, nè può assegnarsi alcun tempo, in cui ella non abbia bisogno di nuove ricchezze. Le arti, le scienze, il commercio presentano ad ogni momento oggetti nuovi, che domandano d' esser fissati con nuovi termini. Lo spirito reso più sagace e più riflessivo raggira le sue idee sotto mille aspetti diversi, le suddivide, ne forma nuove classi, nuovi generi, ed aumenta l' erario intellettuale: come lavorarci sopra senza vocaboli aggiustati, che si prestino alle operazioni dell' intelletto? E' dunque un operar direttamente contro l' oggetto e 'l fine della lingua il pretender di toglierle con un rigor Musulmano il germe della sua intrinseca fecondità.*

402

dium proferrent, partim vero, quoniam ab antiquis Romanis idoneam novis rebus transmissam vocem non habemus, aut jacerent in tenebris, aut alio sermone perspicua in luce, & omnium conspectu ponerentur?

Extitit enim Galilæus in Italia, in Anglia Baco de Verulamio, Helmontius in Belgio, in Gallia Gassendus. Longum est persequi cæteros, Cartesium, Hervæum, Bartolinum, Malpighium, Leibnitium, Neutonum, idque gloriosum Litterariæ Reipublicæ fuisse tam multos. Neque singuli homines tantummodo, verum etiam societates quædam celeberrimæ & gravissimæ, quas ratio studiorum devinxit, ita Meteorologiam præsertim, & Anatomen, & Mathesim meditando investigando experiundo auxerunt atque exornarunt, ut non illæ quidem olim fuisse minores, sed vix omnino fuisse videantur.

Ac ne forte e multis rem unam valde amœnam transiliat oratio, quid tam novum (12) tamque inusitatum, quam quod genus hominum, non jam ut Poetæ memoriæ prodiderunt, ceratis Dædali pennis, aut Phaethontis curru, sed levi quadam reapse constructa machina altius evolando volucrum regionem percurrat, ut qui antea maritimos fluctus, nunc & aerem vicisse videretur. Quam rem & reges ipsi, & principes viri, &



(12) Queret quispiam fortasse, cur e philosophicis disciplinis potius quam ab Ecclesiæ institutis exemplum harum rerum desumpserim. Quia non libuit ad eruditionis non necessariæ pompam altius evagari. Cur enim antiquis Ecclesiæ vocabulis disputationem refercirem, cum jam certum sit & omnibus notissimum, ea fuisse a majoribus religioni dicata. Ego enim illud ostendendum suscepi, omnia vocabula necessario religioni dicata latinitatis naturam induisse. Atque idcirco exemplo uti volui recentissimo (nam areostatici globi experimentum factum est Parisiis in campo Martio an. 1783.) exemplo, inquam, recentissimo, in quo novam vocem nondum latinitate donatam reperirem, quam ego ipse, vel potius sapientes viri, apud quos oratio habebatur, e barbariæ tenebris ereptam, latinam redderent, atque ad latinarum litterarum lucem & splendorem transferrent. Id feci, quod Horatius sibi faciendum duxit, cum hæc

populus frequens, nos item ex parte in hac Civitate non modo vidimus, ſed etiam omni ſtudio viſendam putavimus. Quam ipſa tamen exitum habeat non diſputo, talem certe ut non memoria deleatur. At ſi latinis litteris (videant enim, qui novis vocibus bellum importuniſſimum intulerunt, quam confidenter dicam; audeo vero fretus humanitate veſtra) ſi latinis, inquam, litteris id commendari ad omnium poſterorum gratiam & voluptatem velimus: vos profecto illud (13) Gaſi

C

præcepta in arte poetica traderet; inquit enim v: 50.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget.

Ubi poeta, ut obſervat Juventius, vocem *cinctutis* non uſitatam de induſtria uſurpat pro *cinctis*, *accinctis*, *ſtrenuis*, *&* *expeditis*. Neque vero ab artis oratoriæ præceptis diſcedebam: hic enim animadvertas velim argumentum a minori ad majus. Nam ſi nobis licet hodierna die in rebus phyſicis recens latinum nomen proferre, quanto magis in divinis myſteriis, ritibus, ac cæremoniis exprimendis idipſum & ſuperioribus temporibus Eccleſiæ licuit, & ſemper, cum opus fuerit, licebit, cui uni potiſſimum latinitas ſalutem ſuam debet.

(13) Ab Helmontio *in clavi ad obſcuriorum ſenſum reſerandum* ita Gas definitur: *Gas eſt ſpiritus ſeu exhalatio ſylveſtris, quæ nec coerceri, nec coagulari valet, e rebus fermentantibus tanquam materia inimica eructata, & incautos ſæpe enecans: eſtque vel minerale, in cryptis ſubterraneis, Gas ſylveſtre per excellentiam dictum: vel in aere, ut Gas ventoſum, vel in vegetabilibus, ut Gas cerviſiæ & vini fermentantis, vel in artificialium efferveſcentia exhalans, ut vapores rubri ex aqua chryſulca, aliiſque ſolutionibus ſalinis exſurgentes*. Capite vero *Gas aquæ* legitur: *Gas & Blas nova quidem ſunt nomina a me introducta, eo quod illorum cognitio veteribus fuerit ignota: attamen inter initia phyſica Gas & Blas neceſſarium locum obtinent*. Ita ille: & ſane hoc nomen Gas ejuſmodi eſt, ut ſine eo hac ætate nemo de chymicis rebus, multiſque ſcientiis, & artibus aut loqui, aut ſcribere recte poſſit. Nam vir quidam apprime eruditus, qui in hac Civitate experimenta harum rerum & privatim, & publice

nomen e teutonicis oris deductum in hac ipsa re explicanda non gravate pateremini. Equidem sedulitatem ac diligentiam requiro adversariorum, ut vetustum ex Latio nomen recentissimo scriptori suppeditent. Quid extimescunt, quid reformidant? Si quidem poterit inveniri, quod bene cogitent, laudo, quod indicent, erit per mihi gratum.

Videant quinimo quem in locum semetipsos deducant. Faciendum est ipsis nempe, ut sapientissimorum hominum debilitent virtutem, industriam acerrimam & singularem retardent, incensam cupiditatem comprimant, citius dixerim, omnino restinguant, ne subtilius imposterum rerum naturam pervestigent. Quod cum præstare nullo modo possint, quandoquidem inter eos etiam qui nascentur, eodem ardebunt studio homines, sic ut nunquam conquiescant, tum imprimis hanc facultatem tribuamus oportet, ut quidquid perscrutantur, id communi scriptorum lingua possint dicendo explicare. Etenim si ab inferis esset excitandus vel idem ipse, quem Romanæ facundiæ parentem omnes ad Cœlum extollunt, a nostrorum temporum legitima consuetudine non abhorreret, ne illum turpiter obmutescentem litteræ admirarentur, a quo se & ornatas antea & honorificentissime amplificatas esse meminissent.

Ecquis, inquiunt, cupiditatem illam insitam atque innatam circumscribat? Novam tamen vocem, qua tantopere gloriamur, ad latini nominis amplissimam dignitatem non extolli. O impudentiam singularem! Quos tandem viros contemnunt, ac summam per injuriam lacessunt? Eos nempe, qui etsi libertatem hanc neque dimiserunt unquam, neque dimittent, prædicari se tamen latinitatis laude, & nominari volunt: universum quinimo sapientum cœtum contemnunt, & lacessunt, penes quem

---

exhibere solet, hæc mihi die quadam in sermone injecit: *La parola Gas l' hanno estesa i Chimici per dinotare qualunque fluido aeriforme, anzi la stessa aria purissima vitale, cui dicono Gas ossigeno. Nè si può prescindere parlando de' fluidi aeriformi dell' aggiunto Gas; perchè chi dicesse semplicemente ossigeno, indicherebbe la sola base dell' aria vitale. Altrettanto si dica del Gas azoto, del Gas nitroso, del Gas idrogeno, o infiammabile &c.*

judicium de novitate verborum majores nostri esse voluerunt. Atque idcirco cum illud Gasi nomen proferebam, ne posthac communem usum repugnantem viderem, postulabam equidem sensum vestrum, ornatissimi viri, intuebar vultum, auctoritatem vestram denique tentabam ipsam, an latinis litteris illud adsciscendum judicaretis. Etenim si quis vocem (14) pro re nata & verecunde & moderate procrearit, & doctissimorum hominum studium & favor accesserit: hanc latina lingua non modo non repudiat, verum suo sinu complexuque recipit, & more vetustissimo sibi vindicat, & suam esse ac propriam fatetur. Ut enim quæ in salsum mare flumina decurrunt, sive Caspium illud sit, sive Tyrrhenum, eorum tamen fluctuum, quibus commiscentur, conditionem & cognomen suscipiunt; sic vocabula communi adscita scriptorum judicio, gymnasiis, & palæstræ dicata optimo jure tueri debemus, ut non ab aliis huc allata, sed e natali Cœlo & nostro prope emerserint. Idque adeo concedendum est magis, præsertim cum latini sermonis natura ab exterorum idiomatum acervo primitus orta sit & derivata, nedum incrementum maturitatemque suam inde compararit. Ne-

C 2



(14) Nunquam tritum illud Horatii effluat e memoria nostra, qui in arte poetica v. 58. inquit:

Licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Quæres, quidnam sit illa usitata nota & forma, qua voces ut nummi signantur. Est analogia, proportio, & similitudo cum vocibus aliis usitatis, est doctorum consensus, est præsentis ævi usus, *quem penes*, ut ait idem poeta, *est jus & norma loquendi*. Quare Melchior Cesarottus lib. supra comm. p. 6. inquit: *siccome nella lingua parlata il maggior numero de' parlanti è quello, che autorizza un vocabolo, così nella scritta una voce o una frase nuova non può essere condannata* a priori *sulle leggi arbitrarie e convenzionali dei Grammatici, ma sull' accoglienza, che vien fatta ad esse in capo a qualche tempo dal maggior numero degli scrittori, intendendo sempre di quelli, che hanno orecchio, sentimento, e giudizio proprio, non di quelli, che sono inceppati dalle prevenzioni di una illegitima autorità.*

queo veterem illam (15) percensere coloniarum varietatem, quæ e tot nationibus, antequam Roma conderetur, in Italiam se contulerunt, e quibus tandem populi Romani conflata fuit multitudo: attamen veteres illi nonne multa e Sabinis, ab Etruscis nonnulla, e Gallis (16) deinde, & Hispanis (17), atque ut Persas (18), & Phœnices (19) prætermittam, quot vocabula



(15) Vide Petrum Marcellinum Corradinum c. 1. & 2. de primis antiqui Latii colonis, & de populis, & urbibus veterum Latinorum. Vide etiam Jo: Nicolaum Funccium, qui tractatu *de origine latinæ linguæ* probat, *latinam linguam barbaram origine fuisse, ideoque similem auctoribus suis, qui ex variis nationibus in Italiam confluxerunt, ac primos e Germania colonos in Italiam venisse*.

(16) In urbe Roma Sacerdotes Deæ Cybeles Galli nuncupabantur, quia, ut scribit S. Hieron. in c. 4. Oseæ: *Romani solebant, homines gentis Gallicæ Deæ Cybele mancipare*. Secus sentiunt alii: illud tamen ex historia certum est, variis temporibus varios Galliæ populos in Italiam venisse, in eaque consedisse. Atque ut alicujus vocis, quam ab hac gente Romani sumpserunt, exemplum afferam, est illud Virgilii l. 8. v. 660: *virgatis lucent sagulis*. Servius enim hunc locum explicans in notis ad Virg. editione Veneta apud Jo: Baptistam Paschalium an. 1736. inquit: *& bene adlusit ad Gallicam linguam, per quam virgae purpura dicitur. Virgatis ergo ac si diceret purpuratis*.

(17) Ab Hispania populi Sicani ante Trojanum bellum in Siciliam migrarunt; nam Virg. l. 5. Æne. ait: *Undique conveniunt Teucri, mistique Sicani*. Vocem *Gæsa*, quæ significat leve teli genus, quam alii gallicanam esse volunt, unde Galli quidam ab hoc genere hastilis Gæsetæ dicuntur, sentit clarissimus Delrius com. ad Sen. Hippol. v. 110. *esse origine Hispanam*. Hanc Virg. Romanis litteris adjecit l. 8. v. 662: *Duo quisque Alpina coruscant gæsa manu*.

(18) Nomen *Gaza*, quæ significat opes & divitias, a Persis sumpsit idem Virgilius; ait enim l. 1. Æn. v. 123: *Troja gaza per undas*. & l. 5. v. 40: *Gaza lætus agresti*.

(19) Phœnices profecti a mari rubro varias in Hispania,

Deus immortalis! e Græcis adſcita poſterioribus temporibus ſuam in Civitatem plaudente Latio receperunt? Qui etſi vernaculum ſermonem ita perfectum & elaboratum nobis transmiſerunt, ut elegantius (20) nihil ſperare poſſe videamur, at priſtinam liber-

Gallia, Africa, aliiſque provinciis urbes condiderunt. Aretium Urbs Etruriæ eſt nomen a Phœnicum lingua derivatum, nempe ab Arez, quæ vox argillam ſignificat, atque ita urbem illam vocarunt ob inſignem loci argillam, ut ſcripſit Dempſterus. Item Cariaram aliud Etruriæ oppidum eſt phœnicia vox derivata a Chariat Civitas, & Aára mons. Quæ civitas ita vocata fuit, quod ad montes ſita ſit, ut obſervat Grotius ad c. XXIII; Geneſeos.

Neque opponas has voces hebraicas eſſe. Nam Hebræorum, Phœnicum, & Chananæorum ſermonem unum eſſe eumdemque probant Bochartus, Huetius, Valtonus, aliique. Vide Calmet. To. I. diſſertat. de lingua primæva in comment. in Bibliam p. XXII. in notis. In cujus diſſertationis fine hæc habet: *Chananæis, alio nomine Phœnicibus, auctoribus factum eſt, ut Hebraicus longe lateque per Africam ceteraſque fere omnes inſulas Mediterranei atque maritimas ejuſdem freti regiones propagaretur.* Quod Romani fecerunt, qui exterarum linguarum vocibus linguam ſuam locupletarunt, idem noſtris etiam temporibus in qualibet lingua fieri vellet Franciſcus Baco de Verulamio; inquit enim in ſuo de augmentis Scientiarum lib. 6. c. I. *Illa demum, ut arbitramur, foret nobiliſſima grammaticæ ſpecies, ſi quis in linguis plurimis tam eruditis, quam vulgaribus eximie doctus, de variis linguarum proprietatibus tractaret; in quibus quæque excellat, in quibus deficiat oſtendens. Ita enim & linguæ mutuo commercio locupletari poſſint; & fiet ex iis, quæ in ſingulis linguis pulchra ſunt, (tanquam Venus Apellis) orationis ipſius quædam formoſiſſima imago & exemplar quoddam inſigne ad ſenſus animi rite exprimendos.*

(20) Neque his adverſantur, quæ Melchior Ceſarottus habet lib. ſupra commemorato p. 17., ubi inquit: *Quindi in una Nazione colta, ricca, ſcienziata, fornita d' arti, e di commercio tanto più la lingua ſi accoſta alla perfezione, quanto più*

tatem a majoribus proditam retinere liceat, ſin minus dignitatem: niſi forte velimus in tam affluenti rerum copia, domeſtico fœcunditatis fonte intercluſo, in orationis ſiccitate verſari.

Quanquam quid eſt, cur libertatem duntaxat conſervari dicam? Sint in ſingulari gloria veteres illi, omni ſermone celebrentur, nulla ut immemor ætas obmuteſcat: erit tamen inter illorum famam aliquid loci etiam laudi poſterorum. In quo eſt operæ pretium Græcorum Patrum virtutem recordari. Neque enim D. Baſilium a ſcribendo deterruit Demoſthenis, & Platonis amplitudo, nec D. Joannem Chryſoſtomum ſplendor Æſchinis, & Theophraſti lepor prope divinus, nec duos Gregorios vero Nazianzenum, & Nyſſenum venuſtas Iſocratis retardavit, ut eos

---

ſi dilunga dalle prime epoche: coſicchè non dubiterò d' affermare, malgrado l' apparenza di paradoſſo, che la lingua latina per eſempio era a miglior condizione nel ſecolo degli Antonini, che in quello di Auguſto. Etenim ego de ſtyli elegantia loquor, qui eſt forma ſcribendi unicuique auctori propria. De qua præſtantiſſima ſtyli elegantia, quæ optimis Auguſti temporibus viguit, nullum dubium eſſe poteſt. Quis enim ignorat, eos ſcriptores, qui aurea illa ætate vixerunt, tantum inter cæteros omnes caput extuliſſe, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Ceſarottus vero non de ſcriptorum ſtylo, ſed de populari lingua loquitur a nobilibus etiam viris & ingenue educatis fando uſurpata. Quæ tamen ſi definienda ſit, eſt ſermo vel potius ſermonis forma unicuique genti peculiaris, ut inquit Joannes Scapula explicans græcam vocem *Glottan*. Videant porro Eruditi, num Antonini Imperatoris tempore melior necne, quam Auguſti ætate latinæ linguæ, ideſt latini ſermonis forma fuerit. Equidem illud unum ſcio, Imperatores, qui ante Antoninum regnarunt, partim quidem Romanos fuiſſe, ſed militiæ addictos, & apud exteras nationes a pueritia inter arma educatos, ut Cajus Julius Cæſar Germanicus, de quo Tillemont To. 1. parte 1. p. 115. ait: *il eſt certain qu' il fut élevé tout petit dans la Germanie, & dans le camp parmi les ſoldats:* partim vero omnino fuiſſe alienigenas. Nam M. Ulpius Trajanus, qui Imperium obtinuit an. Ch. 98, & ejus ſucceſſor Adrianus

potiſſimum honoris cauſa nominem, qui græcam linguam jam multo ante locupletiſſimam perfectiſſimamque nova & varia ſupellectili pro ingeniorum ſuorum beatiſſima ubertate ornarunt. Ita multis continget profecto, ut ad veterum latinorum inclytam famam quam proxime accedant. Quid? Nonne ſæculo ſexto & decimo, quo litteræ ſqualore ſituque deterſo quaſi poſtliminii jure in poſſeſſionem antiquam & primævam lucem ſunt reſtitutæ, ita latinitas floruit, & ita ſplendeſcit hac quoque noſtra ætate, quæ tot viros protulit, partim quorum jam de vita deceſſerunt, nec neceſſe eſt quemquam nominari vobis, cum ipſi recordemini, partim etiamnum ſuperſunt, e quorum numero in hac urbe præclara nonnullos, atque in hoc ipſo

erant natione Hiſpani; item Antoninus ipſe Nemauſienſis erat e Volcis provincia Gallorum. Quare mihi occurrunt, quæ Caſtelvetrus in notis ad Bembum animadvertit p. 13. Inquit enim: *Già erano ſtati alcuni Imperadori ſtranieri e ignoranti, appreſſo i quali ſenza dubbio aveano luogo genti ſimilmente ſtraniere e ignoranti; i quali Imperadori co' ſuoi Cortigiani parlavano ſenza dubbio il parlar volgare, e non il puro latino.... Laonde eſſendo durata la ſucceſſione degl' Imperadori così fatti alquanti anni, non fu maraviglia, che la nobil favella primiera ſi dileguaſſe del tutto dalla contrada Romana, ed in ſuo luogo ſottentraſſe la vile, che ſi uſava tra' Maggiori della Corte. Dalla qual lingua gli ſcrittori di que' tempi ſi guardarono il più che poterono, raccogliendo dagli ſcrittori de' ſecoli paſſati molti modi be' di dire, e parole. Il che però non potè loro venire così ben fatto, che per lo ſtilo loro non ſi comprenda chiaramente, che lo ſplendore del chiaro linguaggio era già offuſcato generalmente ancora nelle bocche nobili?* E quibus verbis illud colligo non tam a vocabulorum multitudine, quam a recta forma loquendi optimam cujuſque linguæ conditionem pendere. Ita ſane: nam & M. Cicero olim quintum Cæcilium irridebat Divinat. in C. Verrem, quod litteras Græcas Lilybæi non Athenis, latinas in Sicilia non Romæ didiciſſet, quia nempe Attici, & Romani eleganter, Lilybætani vero, & cæteri Siculi peſſime loquebantur. Quævis itaque lingua nummis comparari poſſe videtur. Nummi autem ſiquid habent

ampliſſimo conſeſſu intuemur, ita ſplendeſcit, inquam, ut Auguſti ætas refloruiſſe quodam modo videatur? Quare vos latinitatem hanc, varia quidem ſuperioribus temporibus uſam fortuna, nunc vero florentem, vos præclara juventus ab hujus ævi ſplendore non degeneraturi, integerrime conſervate. Eam linguam retinete, in qua omnia religionis noſtræ ſunt veluti in Sacrario quodam repoſita, quæ eſt litteratorum omnium communis, quæ in omnibus fere gentibus viget, & apud eos quoque, a quibus neque attingi, neque guſtari ſenſu potuit, in pretio eſt & honore, eam ipſam pro virili parte retinete, ſi in re tanta non humana modo, ſed divina etiam commendatio debet eſſe: neque committendum, ut peregrina inſolentia

---

nitoris, id omne mutuantur a recto uſu. Unde Caſſiod. ajebat: *Divitis auri vena ſimilis eſt reliquæ terræ, ſi jaceat: uſu creſcit ad pretium.*

(21) Huc pertinent quæ ſcripſit auctor opuſculi nuper editi, cui titulus: *Elogio dell' Ab. Clemente Sibiliato P. P. di belle lettere ed Accademico di Padova.* Ille enim in laudem tanti viri, qui anno ſuperiore fatis conceſſit, hæc habet p. 16: *All' ampiezza delle coſe corriſpondeva in lui anche nelle improvviſe orazioni una latina eleganza, quanta pochiſſimi poterono ottenere anche ſcrivendo. Ciò ſolo avrebbe baſtato a convincere coll' eſempio quanto ſcriſſe già il Sig. d' Alembert contro la latinità de' moderni, avendoſi ſtudiato di provare non eſſer poſſibil coſa il giunger a poſſedere con perfezione il più non vivo idioma del Lazio ..... Nè già Clemente il convinſe col proprio eſempio, ma altresì col ragionamento facendo dalla Cattedra una ſenſata confutazione di quanto in tale materia ſcriſſe il letterato Franceſe, degniſſimo di ritrovare fra i dotti Italiani, che il confutarono un critico giudizioſo al pari di Sibiliato. Ben meritava però egli l' eccitamento datogli da molti dotti, onde tal lavoro colle ſtampe ſi propagaſſe, e giugneſſe alle mani ſteſſe del Sig. d' Alembert.* Idem auctor in notis opuſculo additis p. 37. n. 44. refert ea, quæ Sibiliatus ipſe in hanc rem ſcripſit in commen. de vita & ſtudiis Joſephi Torelli. Sibiliatus itaque ita Torellum laudat: *Illum ego unum ex triariis latinæ legionis apud no-*